



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Sapie[n]tia diuina paruulis reuelata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Prædicator, inquit, S. MARIA Virgo est in partu, & confessim alterum erupit lilyum. Tertio solum feriens, Fr. Prædicator, ait, S. MARIA, Virgo est post partum, simulq; tertium enatum est lilyum. Mox autem Egidius aufugit, & Doctor ille curatus est. Postquam autem didicit, cum fuisse Egidium, multo deinceps amore & illum & ordinem eius complexus est. Consimili modo, in Campania Galliarum pro- Thom. Can- uincia, in monasterio Cisterciensis ordinis, quod Argensoles dicitur, Ab- tiprat.lib.2. batissam vidimus, ait Cantipratanus, quæ sine villa litteratura artis cap. 46. 6. ¶ Grammaticæ non solum libros Theologie; verum etiam libros Augu- stini de Trinitate plenissimè intelligebat, & difficillimas questiones eorum lucidissimis solutionibus exponebat.

Quàm verè dixit Christus: Confiteor tibi, Pater, Domine VII.
cœli & terræ, quia abscondisti hac à sapientibus & prudentibus, & re- Matt. 11. 25.
uelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Quem locum exponens S. Augustinus ita scribit: Nomine sapientum & S. Augustin-
prudentum superbos intelligi, ipse exposuit, cum ait: Et reuelasti ea par- serm. 8. de
vulis. Quid enim parvulis, nisi humilibus? Addit D. Gregorius: Nec verb. Dom.
dixit: Reuelasti ea stultis, sed parvulis, tumorem se damnasse innotef- S. Gregor.
cens, non ingenij acumen. Perpendant ergo, qui se supra ceteros c. 9. sup. lob.
sapere arbitrantur, quàm exiguum caussam habeant, se circum- 36. 1. 27. Mo-
spiciendi, quasi plus alijs sciant; cum diuina Sapientia, in rebus ral.
maximis, plus reuelat parvulis, & pescatoribus Apostolis, quàm tumidis Philosophis; plus Egidio, quàm Theophrasto; plus Paulo Simplici, aut mulierculæ rudi; quàm Socrati sapienti; imo eum per pueros doceat senes. Sic constituit iuuenem Ioseph prin- Ps. 104. 22.
cipem Domus Pharaonis, ut erudiret principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret, in medio sapientium Ægyptiorum. Dan. 13. 45.
Sic cum Susanna innocens duceretur ad mortem, suscitauit Domi-
nus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel. Et dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis. Sic ipsum puerulum IE SVM parentes inuenerunt in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & Luc. 2. 46.
interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Ita enim interrogando discipuli egit partes, ut ab omnibus Doctor Doctorum esse videretur. Et fuit hic ipse quoq; ni fallor, puerulus, qui magnum illū Augustinum docuit, non nimis alta de SS. Tri-

Bb 3 nita-

nitate disputare. Dabo authorem pium, ea de re, quæ aliqui controvèrtitur, non dubitantem. Cuius hæc sunt verba.

VIII.

Thom Can-
tiprat. lib.2.
Apum. c.48.
9. 3.

*Quid te inflas, humana superbia? quò tenderis? quò assurgis
fortius, tanto turpius conquassaris. Audi, quid de Beato Augustino
S. Volusianus in Laude mirabili testatur, dicens: In alijs sacerdotibus
per mundum quomodo cumq; toleratur infacia, id est ignorantia, cum an-
tem ad Augustinum ventum fuerit, Legi Dei deesse creditur, quidquid
eum contigerit ignorare. Quid autem tam magnifico viro, super pro-
funditate Sermonis & arduarum rerum disputatione, contigerit, audia-
mus. Inter miracula quedam Beati Augustini tale quid de eo reperitur.
Eo in tempore, quo Beatus Augustinus librum de Trinitate composuit, il-
li tale miraculum Deus ostendit. Hipponeñsis ciuitas Africa nobilis, in
quà Beatus Augustinus Episcopatum administrabat, super littus maris
pulcherrimè sita erat. Beatus autem Augustinus in consuetudine habebat,
ut, post diurnum studium ac laborem, vespere super littus maris, sequen-
tibus eum à longè Episcopis & Clericis, qui eum, pro consilio & negotio
uniuersalis Ecclesie, frequentabant, solus antecedens deambularet: ne
scilicet eius contemplationem & studium fabulatio impediret. Cum er-
go sic solus, vice quadam, incederet, puerulum mira pulchritudinis su-
per littus maris sedentem inuenit, qui facta in terrâ fossa parvula, sicut
pueri in plateis ludentes solent, cochleari argenteo aqua de mari haurie-
bat, & in illam fossam parvulam effundebat. Quem ut Beatus Augu-
stinus ita seriosè sedentem vidit, pedem mox pressit, & stetit. Proce-
densq; inde, puerum salutat, & inquirit, quid agat: Et puer cum magno
serio respondens, volo, inquit, totum mare istud exhauire, & isti fossa, si
possum, infundere. Quo responso, quasi puerili, vir sanctus in risum
decentissimum concitatus, respondit: Et quomodo, inquit, ô bone puer,
hoc poteris? ingens mare est, paruum cochlear, quo exhauriis, parua etiā
fossa, in quam infundis. Et mox puer: possibilis, inquit, mihi est hoc
facere, quod intendo, quam te implere, quod cogitas. Ad hoc Beatus
Augustinus mirabiliter stupefactus, quid hoc esset, interrogat. Et puer:
Cogitatu, ait, voluis, & estimas volumine breui concludere, quid sit illud
individuæ Trinitatis inexplicabile Sacramentum. Et hoc quidem ante-
quam possis, isti fossa parvula potius totius maris undas infundam. Hac
dicens puer repente disparuit. Beatus vero Augustinus Christum in fa-
eto glorificans, quam verum puer dixerat, mox aduertit.*

IX.

Hæc ad Liburnū, portū Pisanorum contigisse tradit la-
cobus Philippus Bergomensis. Quidquid sit de loco; de puer
IESV